

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Obedientia t
cum fonte primo

Vnum atque idem inobediencie
genus est uel propter operationis
instanciam, uel propter ocii desiderium
senioris preterire mandatum, tamque
dispendiosum est pro sompno, quam pro
uigilantia monasterii statuta conuellere,
tantumdemque est abbatis transire
preceptum ut legas, quantum si
contempnas ut dormias.

In collatione Danielis abbatis.

unum sane atque idem inoboedientiae
genus est uel propter operationis
instanciam uel propter otii desiderium
senioris uiolare mandatum, tamque
dispendiosum est pro somno quam pro
uigilantia monasterii statuta conuellere,
tantumdemque est abbatis transire
praeceptum ut legas, quantum si
contempnas ut dormias,

nec alius superbiae fomes est pro ieiunio
fratrem quam pro refectione negligere,
nisi quod perniciosiora et a remediis
longinquiora sunt uitia quae sub specie
uirtutum et imagine spiritalium rerum
uidentur emergere, quam illa quae ex
aperto pro carnali uoluptate gignuntur.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIII.*,
4, 20, 4 (CSEL 13, M. Petschenig ed.,
p.116, ll.13-23).